



Disputatio medica inauguralis de melancholia

<https://hdl.handle.net/1874/341839>

II

DISPUTATIO MEDICA
INAUGURALIS,
DE
MELANCHOLIA,

QVAM
PRÆSIDE DEO TER OPT. MAX.
Ex auctoritate Magnifici Rectoris,

D. HERMANNI WITSII,

S. S. Theol. Doctoris, ejusdemque in Inclita Academia Ultrajectina
Professoris Ordinarii, & Ecclesiæ ibidem Pastoris facundissimi.

NEC NON

*Amplissimi Senatus Academicorum Consensu, & Alma
Facultatis MEDICÆ Decreto,*

PRO GRADU DOCTORATUS
Summisque in **MEDICINA** Honoribus, ac Privilegiis
ritè, ac legitimè consequendis,

Eruditorum examini subjicit
HENRICUS BORREBAGH, Hag. Bat.
Ad diem 14. Junii, loco horisque solitis.



ULTRAJECTI,

Ex Officinâ **FRANCISCI HALMA**, Academiæ
Typographi, clc Ic Lxxxvi.

VIR O R E V E R E N D O
A D O L P H O
B O R R E B A G H,

rei veredariæ apud Hag. Bat. præfecto
parenti charissimo , filiali amore , sum-
maque animi reverentia semper profe-
quendo , venerando , colendo.

N E C N O N

Celeberrimis VIRIS

D. J A C O B O V A L L A N ,
M.D. in celeberrima Ultrajectina Aca-
demia , Med. pract. & institut. Professori
ordinario , dignissimo , semper colendo.

D. J O H A N N I M U N N I C K S ,
Med. Doct. in illustri Trajectinorum
Athenæo Anatomes ac Botanices Pro-
fessori Ordinario accuratissimo , Rep.
Ultr. Poliatro , experientissimo , Promo-
toris perpetuo cultu honorando.

D. JO-

D. JOHANNI LEUSDEN,
L.A.M. Phil. Doctori, Linguarum orientalium in illustri hac Academia Professori Ordinario, peritissimo.

D. G E R A R D O de VRIES,
Phil. Doctori, ejusdemque Facultatis in celeberrima hac Academia Professori Ordinario, acutissimo.

D. JOHANNI LUYTS,
Philos. Doct. in inclyta Academia quæ Trajecti ad Rhenum est Professori Ordinario, clarissimo: omnibus & singulis præceptoribus meis dilectissimis, de me & studiis meis optime meritis, semper Reverendis.

U T E T

D. JOHANNI HENRICO MONTANO, J.U.D.,
Amico summo amantissimo.

D. ISACO à WINGERDE,
Theologiae Studioſo ſubtiliſſimo amico devinctiſſimo.

Hanc Disputationem Inauguralem in obſervantie ſignum

Offert & dedicat

HENRICUS BORREBAGH, AUCTOR.



D I S P U T A T I O M E D I C A

I N A U G U R A L I S,

D E

M E L A N C H O L I A.

T H E S I S I.



Elancholiæ nomen apud Veteres non ita morbi, quam humoris nomenclaturam esse, constare videtur: præsertim quum humor ater, terrenus, fæculentus, Melancholia, seu atra bilis vulgo vocatur, ex verbis Græcis μέλαγχα & χολὴ bilis.

I I.

Inter plurimas vero ab Authoribus traditas Melancholiæ definitiones, nobis sequens præcipue arridet; quod sit *delirium*, seu *imaginationis & ratiocinationis depravatio*, sine febre, furore & *Audacia*: plerumque cum *metu & tristitia conjuncta*: hinc ab aliis delirii speciebus distinguitur, ut a mania, quatenus est sine furore & audacia: a phrenitide autem, quatenus est sine febre.

III. Hac

HENRICUS HORREBACH. Vnctio.

III.

Hac definitione sequitur, Melancholiā cerebri & cordis affectionem complicatam esse : nam quod Melancholici dilirent, hoc à cerebri, spirituumque animalium in eo degentium vitio, ac inordinatione procedit : quod autem tristes & meticulosi evadant, hoc cordis passioni merito attribuitur. Porro hujus morbi differentiae petuntur vel a delirii forma, vel a materie sua.

IV.

A delirii forma ingens est Melancholicorum diversitas, nihilque tam absurdum sanis occurrere potest, quod non Melancholici sibi imaginantur, & verissimum esse pertinacissime credunt: sic alii mundum ruiturum, terram vitream serpentum plenam, cubicula cuniculis, vel leporibus referta, se esse umbras, testas, gallos, capite privatos, homicidiorum aliorumque facinorum reos, fortuna omni exutos, Iroque pauperiores, vel nasum sibi in terram usque porrectum dependere, caput passeribus, ventrem ranis bubonibusque scatere credebant. Alii cum essent cogitationibus intenti, de butyro, vitro, & frumento se butyraceos, vitreos, & frumentaceos esse tam firmiter crediderunt, ut ad ignem, aliós homines, & gallinas, tanquam si ab illis essent perdendi, proprius accedere non auderent: Alii se Reges, Principes, ceram igne liquabilem, canes, fæles esse putabant: alii se mortuos, nec quicquam edendum aut bibendum esse, imaginabantur: quidam mingere non audebant, ne diluvium inde oriretur: quidam se lupos esse credebant, eorumque mores, & speciem latratu aut ululatu imitabantur: alii se vita defunctos esse putarunt, sepulchro statim inferri postulantes: aliquie alia absurdâ sibi imaginabantur, qualis enim olim cujusque intenta cogitatio fuit, aut qualis vitæ conditio, talis se plerumque representat Melancholica deliratio.

6 DISPUTATIO MEDICA

V.

Secunda & præcipua Melancholicorum differentia sumuntur à *materia sua*: estque triplex. Prima, obtingit cerebri vitio. Secunda, quando ex hypochondriis vapor ater, aut obscurus in mentem obrepit, & vocatur hypochondriaca, nomen a loco, in quo posita est mali causa, habens. Tertia, per consensum totius corporis, quando universa ejus temperies, & habitus Melancholicus est. Alii & quartam addunt, nempe, quæ sit ab utero: verum Melancholia inde orta ad Melancholiæ per consensum totius, vel hypochondriacam referri posse videtur: de tertia, seu ultima morborum specie nobis hic erit agenda.

VI.

Causæ hujus morbi procatarcticæ numerantur variæ, quas omnes recensere operæ pretium non puto, ideoque paucas, easque præcipias hic enarrare conabimur. Sunt autem, 1. Aër frigidus, humidus, nebulosus, crassus, impurus, fœtidus, nullo modo agitatus. 2. Potus non defæcatus, crassus, austerus, nimis acris, nimis recens, vinum austерum, nimis dulce, sicut novum & mustum. 3. Vita otiosa, sedentaria, pigritia, studia nimia, solitaria profunda, librorum nimis subtilium lectio. 4. Somnus immoderatus & intempestivus, unde spiritus redduntur torpidi, & quodammodo crassiores evadunt, & motus eorum naturalis impeditur. 5. Sæpe oritur hic morbus a nimis intenta alicujus jacturæ vel amissionis cogitatione (nempe) parentum, mariti, uxoris, liberorum, amasæ, divitiarum &c. Quæ meditatio firmiter cerebro impressa excitat Melancholiæ sive tristitiam: non raro namque hic morbus ortum habet ex amore immoderato, qui corpus valde alterat, omnia mentis consilia perturbat, & homines ita immutat, ut non eosdem agnoscas: sicut multa talia exempla à multis enarrantur. Sic Valeriola observ. 7. lib. 2. refert, quendam ex amore in infiam deductum, Melancholicum factum fuisse; qui miris visis interdiu

interdiu noctuque agitabatur, & modo in iram ac furorem agebatur, modo in risum effundebatur, amatæ speciem se in momenta singula in conspectu habere affirmabat, illi blandiebatur, ac si præfens fuisset, mox, quod se redamare nollet, miris increpebat modis, omnis illi de amata sermo, omnes inter luctus ibat dies, noctem sine somno, tristis, mærensque consumebat, & ipse sibi manus injecisset, nisi à suis prohibitus fuisset. Talis affectus vehementia etiam patet in Medea, quæ impotentia amoris & *zulōlūptia* in Jafonem, filios decerpit. Sic etiam in Didone, quæ amore in Æneam victa, manus violentas sibi infert.

V I I.

Aliquando procedit ab occulta causa, quando a spiritu maligno seu Cacodæmone *Melancholia* inducitur, ut plurimi testantur authores. Diabolus enim generis humani hostis perniciosissimus, homines non saltem quoad corpus exagitat & cruciat: in eo maxime occupatur, omnes nervos, omnes conatus eo dirigit ac intendit, ut mentem, partem ejus nobilissimam, præstantissimamque, & divinæ particulam auræ infestet, quam continuo cruciando adeo exagitat atque perturbat, ut non solum Melancholiæ inducat, verum etiam eos insanos ac Dæmoniacos faciat, quo contra legem divinam sinistre agentes, in peccata incident.

V I I I.

Hicce præmissis præcipua hujus morbi causa occurrit enarranda: (nempe) Melancholiæ plerumque oriri ex mala diæta, (videlicet) ex præcedente alimentorum crassorum usu, ut si quis alatur carnibus suillis, brassica, pane furfuraceo, caseo antiquo, aliisque à Galeno. cap. 7. lib. 3. de loc. aff. propositis: & quoniam multæ particulæ terrestres, ponticæ, austere, &c. in iis continentur, hinc sequitur chylum ex illis separandum,

8 D I S P U T A T I O M E D I C A

dum , eodem modo esse constitutum : Qui chylus postquam per intestina tenuia , vasa lactea , tum primi , tum secundi generis , ductum chyliferum & venam Subclaviam finistram progressus fuerit , in vena cava cum sanguine miscetur , & sic per corpus circulatur , mutandus in sanguinem pariter constitutum : qui per arterias cæliacas sinistras ingreditur lienis substantiam , in qua volatilior reddi & plusquam perfici consuetus , mediante fermento in ea latitante , quo sanguinis particulae terrestres , limosæ , austerae , &c. segregabantur , ibi tale fermentum jam non reperit , propter cuius defectum , à similibus particulis ei permixtis liberari non potest , unde sanguis terrestrior , magis austerus , ponticus , acidus , minus volatilis & spirituofus , crassus & minus mobilis redditur : hinc omnes humores secundarii eodem modo constituuntur , imo totum corpus humore Melancholico scatet : & quoniam in omnibus corporis partibus generantur spiritus (vitales) tam diu quam cum sanguine per corpus circulantur , (dicti) , necessario sequitur illos , ex sanguine ita constituto genitos , similiter esse constitutos : simile enim generat simile : & quoniam spiritus vitalis in cerebro a sanguine , separandus , sit spirituum animalium materia , necesse est spiritus animales similes gigni , qui in statu naturali , pellucidi , ignei , tenues , volatiles , mobiles ad actiones cerebri alacriter exercendas , jam crassi , opaci , minus mobiles , & tenebricosi evadunt , adeoque rerum imagines velut umbrâ aut tenebris , obductas , representant : & quidem suspicari licet in Melancholia , spiritus animales , eorum vehiculum , succum nervosum , à natura miti , subtili , in fixiorem degenerasse : atque sic ob spiritus animales fixiores contingit , quod Melancholici maxime in ea re delirent , de qua maxime cogitant , cum de aliis sœpe bene judicent : hoc nimirum fit , quia cogitatio , si diuturnior sit de una quapiam re , ob dictam spirituum animalium constitutionem , depravatur , cum hoc non fiat , si uni rei non diu inhaeret .

IX. De

I X.

De causa autem formidinis præstantissimi Medici magna contentione inter se dissident. *Galenus* enim causam refert in humoris colorem atrum, quemadmodum enim externæ tenebre omnibus fere hominibus pavores inducunt, sic humor ater ac fæculentus mentis sedem obtenebrans, formidinem efficit.

X.

Hanc opinionem *Averroes* (philosophus quidem celebris, sed juratus Galeni hostis) irridet, & adversam fortiter tuetur: ejus verba inter cætera hæc sunt: „ & qui dicunt quod anima „ terretur propter humorem nigrum, sicut terretur homo in „ obscuro, dicunt verba cantionum: *Quia anima non videt in* „ *corpore, ut possit dicere, quod sentiat terrorem nigredinis.* „ Coloris itaque timoris hujus causa imputanda non est: sed „ potius, *inquit*, temperamento humoris Melancholici frigido, „ quod contrarios calori producit effectus: calor enim homi- „ nes audaces, agiles, & in omnibus actionibus præcipites; at „ frigus, timidos, tardos, stupidosque efficit.

X I.

Præclaros hos dissidentes authores reconciliari conatur *Andreas Laurentius* cum inquit; si utraque causa conjungatur, „ temperies nimirum humoris, ut primaria, & color ater spiri- „ tuum, ut secundaria & adjuvans, omnem controversiam dirimi „ posse existimo.

X I I.

Nos autem putamus, timorem & mestitiam produci ex san-
guine, ob particulas exaltatas nimis inflammabili; adeoque non
vegete & cum pleno incendio circulante & efflagrante, verum
circa

10 D I S P U T A T I O M E D I C A

circa præcordia aggeri , & restagnare apto , atque ibidem grava-
men & diliquium ciente : hinc caput , & membra uberiori ejus
affluxu destituta , languescunt.

X I I I .

Signa hujus morbi sunt : Alvus adstricta , sputatio , nulla sitis ,
taciturnitas ; cogitabundi sunt ; Macilenti , extenuati , vietu
utentes parco ; in iram proni ; voraces , pallidi ; habitus eorum
plerumque fiscus , aridus ; vigiles sunt ; somni illis turbulenti ,
tardi ; & ubi quid conceperint (tenacissimi:) Censores , moro-
fi , solitarii , timidi , tristes , plerumque sine causa vitare
incipiunt hominum confortia ; respiratio rara & tarda , pulsus
durus , tardus & rarus , valde suspiciosi ; in continuo versantur
cogitatione , quæ cogitatio in unam , eandemque rem defixa est :
paucissima objecta , imo tantum unicum objectum animo ap-
prehendunt , illudque est parvi momenti , & de cæteris majoris
momenti nihil cogitant : lœvissima & paucissima objecta in for-
mam figuramque majorem sibi repræsentant.

X I V .

Ad prognosin quod spectat : hic morbus magis periculosus est
in senibus , scorbuticis , & pituitosis , quam in media ætate con-
stitutis : rarer lœta Melancholia , frequentior tristis ; hæc cura-
tu difficilior , illa facilior : estque affectus hic , semper curatu
difficilis : raro tamen homines à sola Melancholia moriuntur :
non nulli brevi convalescunt ; alii non nisi longo tempore ; alii
nunquam sanantur : Melancholia hæreditaria incurabilis credi-
tur : hæcque affectio diutius protracta nonnunquam in affectus
soporosos , Apoplexiā , Epilepsiam , nec non in stuporitatem ,
quandoque item in Maniam transire potest : circa initia namque
facilis est ejus curatio , inveteratus autem , & veluti in natu-
ram conversus affectus , incurabilis propemodum evadit.

XV. Itaque

I N A U G U R A L I S. II

X V.

Itaque non negligenda erit hujus morbi curatio, ne diutius protrahatur, ac in prædictos affectus incidat. Si ab amore hic morbus procedat, tunc præcipuum remedium est, objectum & stimulum mox removere: vel si Melancholici ab amore gravi pressi, in odium Personæ quam amant adigi queant, certissime liberantur.

X V I.

Hisce itaque præmissis; requiritur quoque ut sanguis depuretur & Melancholici humores è toto corpore expurgentur: idque fiat sequenti haustu melanogogo: ut

R. fol. fenn. 3ij.
agarici 3j.
sem. anisi 3ij.
tartar. rhen. 3j.
aq. hord. Q. S. infundantur per
noctem & post levem ebullitionem
exprimatur add. colat.
confectionis hamech 3iiij.
M. F. haustus.

Si æger proclivis sit advomitum præscribatur vomitorium ex
3iiij. vel 3ij. vini emeticci ex infusione croci metallorum.

X V I I.

Interim ad sanguinem depurandum, sanguinis missio hic locum habet: sanguine namque crasso, & impuro per vices subtracto, in locum ejus novus repullulat. Si patiens sit plethoricus, tunc largâ quantitate sanguis est detrahendus, quæ sanguinis missio aliquando potest repeti, pro re nata.

12 D I S P U T A T I O M E D I C A

X V I I I .

Sanguinis transfusiones nequaquam probo : imo vix duosunt homines , quorum sanguis particulas habeat consentaneas : unde ebullitio, præcipitatio, concretio, vel fermentatio sanguinis lethalis exoriretur.

X I X .

Purgatione , vomitorio , & venæsectione præmissis : haud inconveniens erit , ut reliquus humor attenuetur , humectetur , & emolliatur , secundum *Hippocratis* sententiam , qui docet , corpora cum quis purgare vellet , fluida prius facienda esse : præscribendum ergo tale apozema.

R. Rad. cappar, tamarisci, heleni,
Polypod. quercin. an. 3v.
fœniculi 3j.
Herbar. fumariæ, cuscutæ ,
Scolopendriæ, chamedrios,
trifol. aq. an. mj.
cort. citri. 3vj.
sem. fœnicul.
anisi an. 3ij.
passifl. mund. 3ij.
aq. q. s. fiat s. a. apozema.
ad tbij. & s. de quo æger quotidie.
ter, quaterve 3ij. vel 4v. bibat.

X X .

Optimum quoque remedium est, si Melancholici horâ quartâ vespertinâ aliquando sumant largiorem haustum vini veteris Rhenani , & ut dein ambulent per aliquot horas, usque dum sudor copiosus diffusat.

XXI. Cor-

XXI.

Corroborantia hic quoque locum habent, quæ cerebrum, & imprimis cor roborant: ut sunt conserv. flor. anthos, borrag, bugloss, cortices citri conditi, radix heleni, gallia moschata multaque alia: post cænam & prandium sumat xx. gutt. spir. sal. arm.

XXII.

In diæta, vitentur cibi crassi, antiqui, salsi, vel fumo siccati, nec non duræ digestionis, ac omnes qui humores Melancholicos augent, ut anseres, anates, columbæ, brassica, carnes suillæ, caseus antiquus, carnes bubulæ, taurinæ, hircinæ, aprinæ, & ligumina omnia. Aër sit lucidus, ad calidum & humidum vergens. Cibi sint euchymi, eupepti, conditi, cum melissa, boragine, betonica, uvis passis &c. Potus sit cerevisia medicis bene defecata & a lupulo aliquantum amara: convenit etiam vinum tenue. Motus sit moderatus; ambulet subinde per loca amœna, & prata viridia cum amicis. Somnus sit longior: nam (teste sennerto) est remedium supra gemmas & lapides pretiosos æstimandum. Vigiliae huic morbo penitus inimicæ sunt. Excreta bene procedant. Exercitia sint mediocria. Animi perturbationes tanquam acerrimi hostes sunt vitandæ. Ableganda curæ, solicitudines, timores &c: nam nihil Melancholicis perniciosius est. Animus e contra sit hilaris. Conversetur in lœtis & jucundis: omnes cogitationes fugiantur: neque æger unquam solus relinquatur, sed continuo illi aliquis adsit, qui blandis, & solidis rationibus cogitationum errores demonstret.

VI

B 3 CO-

algeb



COROLLARIA.

I.

C *Hylus solas venas lacteas ingrediatur.*

II.

Venesectio in Melancholicis ut plurimum conducit.

III.

Usus aceti Melancholicis non videtur convenire.

IV.

Lac non Generatur ex sanguine, sed ex chylo.

Ma-

V.

Mares fæminis sunt calidiores.

V I.

*Sanguis & spiritus sunt potissima partes
nostre corporis.*

V I I.

*Vera pleuritis absque venæctione non
bene curatur.*



Officina Typographica Academiae
Typographicae de laetissima

V

amphibio cum animali in

COROLYARIA
vulnus amboinum cum animali Sanguis
amboinensis

Chrysanthemum I I V

amboinensis amboinensis virens
virens



L Y

amboinensis amboinensis, sed ex
virens